

† R. P. Franciscus Bieter (1883-1952)

(*Prov. S. Lud.*)

Hic primus Congregationis sodalis oriundus e Statu Minnesota et archidioecesi S. Pauli, priusquam ad nostram familiam religiosam veniret, Capuccinorum et Iesuitarum alumnus fuerat. Primam mundi lucem vidit in Faribault, 14 Apr. 1883, natu minimus inter novem liberos optimorum parentum. Bona mater praeter Germanicam linguam etiam religionis veritates Benjaminum suum docebat, et eo vel diligentius, quod filium, circumstantiis ita exigentibus, ad scholam publicam, instructionis religiosae expertem, mittere cogebatur.

Absoluta schola media, vulgo *High School*, Franciscus electrotechnicae in statali Universitate studere voluit, sed patris ultima infirmitate rem per annum procrastinavit; postea autem multorum studentium (erant tunc 4000 numero) et aliquot professorum vita immorali tanto taedio afficiebatur, ut iam post primum semestre statueret aliam viam ingredi ad sacerdotium tendentem. Complevit igitur primum humanitatis studia in collegio Capuccinorum Mount Calvary, Wisconsin, et philosophica in Iesuitarum collegio Prairie du Chien, Wisconsin, renuntiatus ibi post biennium in philosophia baccalaureus (B.A.).

Paulatim Franciscus Bieter se a Deo vocatum sensit non modo ad sacerdotalem, sed etiam ad religiosum statum; tamen Societatem Iesu ingredi noluit, utpote abhorrens a docendo, dum ad nostrum Institutum attrahitur vita scriptisque S. Alfonsi. Nihilominus postea inter nostrates per 27 annos cathedram iuris canonici tenuit, et cum quanta auctoritate! Id vero minime sacrificii amaritudinem abstulit. « Hi anni quaedam mihi crucifixio fuerunt », solebat postea dicere. Aetate iam proveciore 25 annorum vota nuncupavit 15 Aug. 1908, et 28 Iun. 1911 ordinatus est sacerdos in aeternum.

P. Bieter, postquam per 8 annos ius canonicum in suae Provinciae studentatu Oconomowoc egregie docuit, a. 1921 a Superiore suo Provinciali Pl. R. P. Christophoro McEnniry Romam missus est ad reapertum novi typi Collegium Maius. Sic denuo evasit discipulus Iesuitarum in Pontificia Universitate Gregoriana, et post biennium in patriam reversus est insignitus laurea iur. can. Tradunt hodiernum Archiepiscopum Chicagiensem Em.mum Cardinalem Samuelem Stritch circa a. 1930, recens nominatum Archiepiscopum Milwaukiensem, Romae quaesisse bonum canonistam, et hoc consilium ei datum esse: « Excellentia Vestra in sua dioecesi possidet unum ex optimis canonistis Statuum Foederatorum. Vadat proinde ad Redemptoristarum scholasticatum Oconomowoc ibique quaerat Patrem Bieter ». Revera confrater noster pretiosa servitia praestitit non solum huic Ordinario suo, sed etiam aliis Episcopis Americanis et sacerdotibus et Institutis religiosis.

Verumtamen in huius canonistae animo nunquam exstingebatur flamma zeli missionalis, qua incensus feriarum tempore libenter tradebat multos cursus exer-



citiorum spiritualium. Etiam periodica suae Provinciae suis solidis articulis adiuvabat.

Tandem Iunio a. 1942 is qui hucusque primario fuerat Lector et secundario tantum Missionarius, huic apostolatu directo totum se dare sinitur, adscriptus communitati S. Ludovici. Peculiari mentione digna sunt « exercitia quinquaginta dierum », tradita selecto numero Fratrum Christianorum, vulgo *Christian Brothers*, e variis Provinciis adunatorum, quibus intra exercitia adeo longa etiam canonicas de statu religioso leges explanabat. Iam ad alium similem cursum destinatus erat, cum repentina morte impeditus est.

Ultimo vitae anno (1951) hic senex paene septuagenarius habuit novem missiones et unam renovationem et in duabus aliis missionibus auxiliatus est. Adde duas devotiones praedicatas Quadraginta Horarum cum 478 confessionibus exceptis et sex cursus exercitiorum spiritualium (duos ad religiosos habitos et quatuor ad religiosas). Etiam domi minime quiescebat, sed in magna ecclesia S. Alfonsi strenue operabatur ut quilibet alius.

Exeunte Aprili h. a. P. Bieter sanctificabat Pauperes Clarissas in Saul Rapids, Minnesota. Ante ultimum sermonem exierat in hortum ad recitandum Rosarium. Una ex Sororibus Externis, videns eum manifesto male se habentem: « Sine, inquit, Pater, me ad tuum cubiculum te conducere ». Vix bonus senex eo pervenit, cum plane collapsus est. Medicus derepente vocatus ordinavit translationem infirmi ad nosocomium urbis S. Clodoaldi (*Saint Cloud*). Advolavit statim e civitate S. Ludovici A.R.P. Rector Thomas Landers, in cuius praesentia dilectus P. Bieter primo die mensis Mariani absque ulla agonia ex hac mortali vita exiit. Tanto durior haec vita ei fuerat, quod temperamentum receperat melancholicum. Tum ipsum loquebatur cum suo Superiore de novis laboribus apostolicis suscipiendis.

Exsequiae sollemnes habitae sunt S. Ludovici in ecclesia S. Alfonsi, et in caemeterio nostri collegii Kirkwood, Missouri, cadaver tumulatum est.

In Patre Bieter Congregatio nostra amisit genuinum filium, qui sincere amabat nostrum S. Fundatorem, eius scripta constanter legebat, de eius doctrinis in conversatione saepe cum magna admiratione loquebatur. Constanti fidelitate; ergo cum sui abnegatione haud communi observabat vel minima Regulae praescripta, colens simul diligenter traditionales nostras devotiones erga Passionem Domini et SS. Eucharistiam ac Beatissimam Virginem Mariam.

M. BRINGAZI - C. HENZE